



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**R. P. Christiani Mayer E Societate Iesv, Diarivm  
Meditationvm, De Præcipvis Vitæ Christi mysteriis**

**Mayer, Christian**

**Coloniæ Agrippinæ, 1635**

4. De 2. Petitione: Adueniat regnum tuum

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60091](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60091)

De 2. Petitione. *Adueniat regnum  
tuum.*

**I.** **E**Xpende quale regnum nos Christus hic sperare, petere & desiderare velit, triplex videlicet 1. Regnum gratiæ, quo Deus per sanctificantem gratiam regnat in iustis, qui excusso peccati, mundi, diaboli iugo per eradicationem vitiorum, per mortificationem appetitionum, victoriam tentationum, exercitationem virtutum penitus se illi per omnia subijciunt, eius imperio submitunt, & beneplacito conformant per exercitium perfectæ resignationis, seu voluntatis suæ cum diuina conformationis. 2. Regnum gloriæ animæ, quo regnat per gloriam in beatis, qui clarè intuentes, beatè amantes & possidentes Deum, ad eius nutum semper & in omnibus promptissimè se accommodant. 3. Regnum consummatum gloriæ quoque corporis in resurrectione iustorum inchoandum, quod expectant animæ beatorum, quando Deus erit omnia in omnibus, omnesque perfectissimè quoad corpus & animam illi erunt subiecti.

Quis

Quis non avidissimè expetat, ut Deus in se hac triplici ratione regnet? at si anhelas ad regnum gloriæ corporis & animæ, quod summo cum gaudio possidebitur, prius aspirare oportet ad regnum gratiæ, quod absque magno labore, absque assidua mortificatione, resignatione, sui victoria, tentationum lucta non acquiritur. Desiderium huius triplicis regni & zelus proficiendi in triplici via perfectionis, maximè in absoluta resignatione ad omnia.

II. Quam ardentè Christus hoc triplex regnum omnibus, pro quibus incarnari voluit, tota vitâ exoptavit, & ab æterno Patre exoravit: quam promptè omnia, quæ dixit, fecit, passus est, ad illud nobis impetrandum obtulerit: quam zelosè desideravit nos non solum desiderijs ad hoc regnum aspirare, sed pro viribus etiam per assiduum exercitium mortificationis & resignationis, & per serium studium omnimodæ perfectionis contendere? quam æquum ergò est, ut tantæ Christi liberalitati gratus existas, & sanctum eius desiderium æmulari studeas?

III. Cur ad regnum illud desiderijs  
aspi-

aspirandum, & pro viribus dicto modo contendendum sit. 1. Ob incomparabilem præminentiam huius triplicis regni, quod nullis caducis donis, ne quidem vniuersis mundi opibus, dignitatibus, voluptatibus queat conferri, 2. Ob inæstimabile pretium sanguinis, quo Filius Dei illud nobis dignatus est mercari. 3. Ob ineffabile desiderium, quo cupit nos eodem perfecte potiri. Hæc si capis, nec te moueri sinis, annon silice durior merito censeberis? Affectus ijdem repetendi.

V. De 3. Peritione. *Fiat voluntas tua.*

I. **E**Xpende quomodo diuina voluntas perfecte, quod hic petimus, sit adimplenda. 1. Latissimè, adimplendo omnia præcepta, consilia, inspirationes diuinas, omnia item iussa eorum, qui nobis Dei nomine præfunt, iussa, quibus omnibus diuina voluntas nobis declaratur. 2. Purissimè, ex gratuito amore Dei, non ex metu supplicij, aut spe præmij. 3. Intèrissimè, & sublimissimè instar beatorum in cælo, eximia scilicet cum promptitudine, celeritate, alacritate, amore, gaudio. 4. Constantissimè in omnibus rerum & temporum vicissitudinibus, nunc, semper, æternum. 5. Insatiabilissimè